

119. THEOBROMA. *Gen. Pl.* 374.

120. MILLERIA. *Gen. Pl.* 814.

121. EPIDENDRUM. *Gen. Pl.*

Quinque Orchideas parasiticas in hac parte Americæ legere mihi licuit, quæ, ut opinor, omnes ad Epidendrum referendæ sunt. Ex his tamen, tres solum florentes vidi, omnes diversas, Corolla & nectario in specie quadam erectis, foliis, nectario cornuto; reliquæ ex acaulibus eo carere. Differunt inter se in Figura Nectarii. Attamen magis singulare mihi visum fuit *Epidendrum nodosum* Spec. Pl. 953. 7. flore albo unica tantum gaudere Anthera, nec duabus uti reliquæ species orchideæ. An hoc in pluribus obtinet Epidendris, adhuc dum nescio.

122. HELICTERES. *Gen. Pl.* 439.

CAL. *Pertambrium* monophyllum, oblongo-cylindricum, tubulatum, quinquedentatum: *dentibus* acutis, linearibus . . , deciduum, femunciale.

COR. Petala quinque, calyce longiora: *unguibus* longis, linearibus, angustis, paulo supra basin notatis dentibus lateralibus, oppositis, utrinque solitariis, patentibus, ad se invicem fere connatis.

STAM. . . *Antheræ* lineares, curvæ, incumbentes.

PIST. *Germen* columella filiformi, longissima elevatum, oblongum. *Styli* quinque, longi, contorti, filiformes. *Stigmata* simplicia.

PER. *Capsula* quinque, spiritaliter lineares, uniloculares, univalves, introrsum dehiscentes, apice patulo emittunt femina.

Nescio, an duæ, quas vidi, sint species vel varietates: Corollæ etenim color elegantissime rubens, planta viridis, fructu brevior differebat superficialiter a Corolla subcinerea, planta incana, fructu longiore.

123. CROTON. *Gen. Pl.*

Character Generis in *Gen. Pl. l. c.* universalis est. In hac Americæ parte sex collegi species Crotonis, quarum fructificationes inter se licet diversæ, (excepto apice in staminibus in quibusdam) concordant cum *Gen. Pl.* Species hæ